



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio LXXXI. Invidia & immane odium Christum Dominum ad mortem crucis adegerunt, & occiderunt?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO LXXXI.

## Invidia & immane odium Christum Dominum ad mortem crucis adegerunt,

*Hic est heres, venite, occidamus eum. Matth. 21. 38.*

I.

**N**on sine causa invidia peccatum diabolicum appellatur: *Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* En causam peccati & mortis ex eo consequentis; diabolus, quia lapsus erat primus in peccatum & mortem gehennæ, invidens homini gratiam, vitam & gloriam, eum similiter ad peccatum sollicitavit & impulit: *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius, videlicet invidi, qui quàm maximè per invidiam, quam mente fovent, hunc suum parentem diabolum sequuntur, cujus primus discipulus Cain fuit, qui ex invidia & rancore innocentissimum fratrem suum Abelem occidit: Coniuravit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Hunc secuti sunt invidi fratres Josephi, qui eum extremè oderunt, eò quòd plus à patre diligebatur: *Vide: tes autem, quòd à patre plus cunctis amaretur, oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui.* O invidia! exclamat S. Chrysológus, *omnibus malis pejor; invidia delictorum venenum, criminum virus; peccatorum mater, origo vitiorum.* Et hæc invidia causa erat, quòd unigenitus Dei Filius ad ignominiosissimam mortem crucis ab invidis fuerit postulatus & adactus: *Morte turpissimà condemnemus eum.* Plura de hac veritate impræsentiarum considerabimus.

2. Christus Dominus multa discipulis Judæis more illius Gentis & avi locutus est per parabolas; inter quas comprimis nobis consideranda est illa, quam Hebræis & quidem primatibus de vinea Domini Sabaoth proposuit: *Homo, inquit, erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & edificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est, cum autem tempus fructuum appropinquasset,*

*Ginther Unus pro omnibus.*

Q

quasset,

quasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus; & agricolae apprehensis servis ejus, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. Novissimum autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebatur filium meum. Agricola autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est haeres, venite, occidamus eum, & habebimus hereditatem ejus, & apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt eum. O bone JESU! ô Amor crucifixe! Tu es ille Magni Patris familias Filius, missus ab illo de cœlo ad excolendam vineam (Synagogam & Ecclesiam) sed quid accidit? Apprehensum te ejecerunt coloni isti & ingratiissimi Judæi extra vineam, & ex mera invidia occiderunt te, & in cruce suspenderunt. O fera pessima invidia! que Dominum meum JESUM in crucem adegit. Considera hoc ô invidie, & intuerè Titulum crucis: I. N. R. I. quem sic expono: *Invidia Nostri Regem Interfecit*. Sed rogo adhuc unum, dictum considerans S. Crucis Titulum: I. N. R. I. quem sic explico: *JESUS Non Remissio Injuriarum*. Desine igitur ab invidia, desiste ab ira, & derelinque furorē, & ignoscet tibi dulcissimus JESUS.

3. Sed pergo ulterius. Vix Christus Salvator mundi in antro Bethlemico in lucem natus erat, mox invidia illum secuta & per omnem vitam usque ad mortem crucis persecuta est; Herodis enim, ubi ex adventu Trium Regum Orientalium, qui stellâ duce in aère apparente illum ferebantur, intellexit: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Vix non crepans præ invidia, sine mora huic recens nato divino Infanti mortem machinari coepit; & quia cœlestis Pater dilectissimum Filium suum ab illius eripuit furore, cruenta Infantium caedes secuta est, ut inter illos & Christus interficeretur. En effectum invidiæ! Et quemadmodum papilio lucernam extinguere volens, se ipsum comburit, ita invidus Herodes, dum hanc divinam lucernam statim in ortu voluit extinguere, se ipsum combussit, & miserrimè periit: Invidia, ait Didacus Stella, non parcat proprio parenti; testis est Absolon. Non parcat fratri, testis est Cain & fratres Joseph; Non parcat Sorori, testis est Rachel invidens Sorori Liæ. Non parcat amico & benefactori, ut Saul Davidi. Non parcat Sanctissimo & innocentissimo, ut Judæi Christo: *O invidia pestiferum malum, quæ hominem in immensissimum demonem convertit*, ait S. Chrysostomus hom. 41. in Matth.

4. Et quis ignorat Nazarenorum invidiam, dum illorum odium in Christum concivem suum longè majus quàm ipsius diaboli fuerat: *Duxerunt illum (Christum) usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut precipitarent eum*. Observa Evangelii verba: *Ut precipitarent eum*; diabolus autem tantummodò Christo suasit: *Mitte te deorsum*. Subintrat hic Sanctus Bonaventura: *Quod ille tantum dixit verbo:*

*Mitte*

Matth. 2. 2.

Stella de Vanit. mundi  
2. Reg. 15. 10.  
Gen. 37. 28.  
Gen. 30. 1.  
1. Reg. 18. 8.

Luc. 4. 29.

Matth. 4. 6.

*Mitte te deorsum, hoc illi conati sunt facto.* Proinde rectè Sapiens: *Dura Cant. 8. 6.*  
*sicut infernus amulatio.* Supra quod S. Gregorius, quia dum Synagoga <sup>S. Gregor.</sup>  
 Christum ad inferos posse se transmittere putavit, ei usque ad mor- <sup>M. hic,</sup>  
 tem corde immisericordi invidit. Ut infernus dura æmulatio extitit:  
 quia sicut infernus sine misericordia, quos tenet, cruciat; sic Judaica  
 plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis, ad mortem tra-  
 hebat.

Ita est: Invidia canis est, qui blanditur in facie, & mordet à ter-  
 go. Invidia vipera est, quæ ex eslo materno utero generatur, ita invi-  
 dia animam ipsam parientem consumere solet. Invidia rubigo est,  
 ipsum ferrum, & viros aliàs fortissimos, si ab ipsa capi se sinant, con-  
 sumens. Invidia ægritudo pessima est, quæ non dumtaxat corpori,  
 sed & animæ nociva ac venenosa est. Invidia lupus est rapax, insa-  
 niens semper inaniter, & tandem deducens ad infernum. Verbo, ait  
 S. Augustinus: *Invidia omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia* <sup>S. August.</sup>  
*mala generat.* O DEUS bone! absit hoc à me, ut invidiæ fomitem in pe- <sup>serm. 18 ad</sup>  
 ctore meo alam. Sit mihi semper in omni adversa occasione exem- <sup>Frat. in cremo,</sup>  
 plum crucifixus JESUS: *Pater dimitte.*

5. Audax facinus commisit Petrus, dum gladium in horto edu-  
 xit, & percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Quid <sup>Jo. 18. 10.</sup>  
 agis Simon Petre? summo te exponis periculo; quid tu contra tantos?  
 Verùm benignus Dominus, *cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Mi- <sup>Luc. 22. 51.</sup>  
 ror quòd neque coram Anna, neque coram Caïpha, neque coram Ro-  
 mano Præsìde de hac abscissione auriculæ & Christi miraculo mentio  
 facta sit; & quare hoc? *Invidia,* ait doctissimus Leo à S. Laurentio,  
*hoc suppressit Christi miraculum.*

O invidia, quæ de cœlo abjecit Angelum; de paradiso exclusit  
 hominem; Abelem occidit; Core, Dathan & Abiron in tartarum  
 misit; Danielem in lacum leonum ablegavit; Stephanum lapidavit,  
 Joannem & Paulum decollavit, & Christum omnium Salvatorem  
 cruci affixit: *Tolle, tolle, crucifige eum,* quam veritatem & ipse Gentilis <sup>Jo. 19. 15.</sup>  
 Judex Pilatus agnovit: *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.* O  
 invidia! quæ, ut ait quidam, *in clauistro nascitur, in aula nutritur, & in ho-*  
*spitali moritur;* quæ & nunc temporis intervallo inter omnes hominum  
 status regnat. O invidia! Tu tam crudeli laniæ Dei Filium in fla-  
 gellatione subjecisti; Tu eum sero ex acutissimis spinis plexo corona-  
 sti; Tu ei gravissimam crucem in lacertos imposuisti humeros; Tu ei  
 manus ac pedes dirissimis transfodisti clavis; Tu ei sacratissimum latus  
 crudeli lanceâ transverberasti. Et quomodo, obsecro anime mi, tu ad-  
 huc talem ac venenosissimum in pectore tuo alere serpentem potes?  
 Absit hoc à te.

Q 9 2

6. Scri-


Jo. 19. 19.

S. Cyrill. lib.  
12. c. 31.Mancin. li  
2. dissert. 4

Gal. 2. 20.

6. *Scriptit autem & titulum Pilatus: Et posuit super crucem; Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Judæorum.* Hunc titulum non poterant tolerare Judæi, unde legentes eum, dixerunt: *Noli scribere Rex Judæorum.* Et quare hoc? R. S. Cyrillus: *Acri turbati invidia, regnum pernegant Christi.* Ecce invidia excæcavit Judæos, & etiamnum excæcat, & utinam non etiam multos Christianorum!

Talis fuit ille, de quo refert Cæsarius & ex eo Mancinus, quod longo tempore proximo suo fuerit infensus. Hic videbat aliquando de nocte Christum crucifixum humi jacentem, ac tenui velo cooperatum, ad quem plures (prout in Ecclesia in die Parasceves fieri solet) accedebant, sanctissima ejus Vulnera devotè exosculantes. Accessit & ille, ut crucifixum humi positum humili osculo veneraretur, sed revulsâ à cruce manu pietissimi Redemptoris repulsus est, qui indignabundo vultu ei dixit: *indignum eum esse admitti ad osculum, qui proximum suum odisset.* Disce ex hoc, anime mi! omnem invidiam depone, quia per invidiam diaboli mors intravit in orbem. S. Paulus Ap. olim gloriabatur, vitam suam in Christo crucifixo esse absconditam: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Invidus è contra debet dicere: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me diabolus.* O invidi! evigilate tandem, & abite in pace.



## CONSIDERATIO LXXXII.

Lingua detractrix potissimùm Christum  
Dominum ad ignominiosissimam crucis mor-  
tem promovit.

*Pro eo ut me diligerebant, detrabebant mihi: ego autem orabam. Psal. 108. 3.*

I.

**M**isit quondam David Rex legatos suos ad Hanon Amonitarum Regem, consolans eum super patris interitu; Sed Hanon turpissimè illos regios excepit legatos, dum eos non solum vestibus, sed & barbâ & honore mutilavit: *Tulit itaque*